



**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

Disputatio VII. De discursu, an, & qualis reperiatur in actu fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

apparet tamen repugnantia physica, quod omnia eadem motiua huic homini proponantur eodem modo, licet non sint à parte rei. Non enim repugnat physice, quod omnes vel plures convenissent ad decipiendum hunc hominem, & dicerent illi miracula, martyria, & alia omnia, quæ illi nunc proponuntur, & ostenderent ei libros falsos, quibus narrarentur, & venditarent Scripturas tanquam diuinas, & Concilia tanquam Canonica, sicut nunc proponuntur ei hæc omnia vera. Tunc autem assensus esset æque prudens, ac nunc, & tamen esset falsus. Quæ quidem licet moraliter non possint contingere; non apparet tamen repugnantia physica; & per consequens non repugnat physice, quod hic actus fidei naturalis, quem nunc habet, potuerit idem esse falsus, si hæc omnia ei falsò proposita fuissent. Ex quibus concluditur, actum illum naturalem non esse magis certum, quam actus evidentes naturales. Esset quidem magis firmus propter maiorem adhesionem ad obiectum, quam ad obiecta scita: quæ firmitas adhesionis esset eadem, ac in actu fidei infusæ: non tamen esset æque certus, quia non haberet æqualem repugnantiam intrinsecam cum falsitate, quam repugnantiam habent actus fidei infusæ, atque etiam assensus naturales evidentes.



DISPUTATIO VII.

De discursu, an & qualis reperitur in actu fidei.

SECTIO I. *Assensum fidei generari posse per discursum formalem.*II. *Argumenta contraria proponuntur, & dissoluntur.*III. *An possit intervenire cognitio bonitatis illationis in discursu fidei, & qualis sit illa cognitio.*

Quibus modis intelligi potest quid fides discursiva sit.

Dupliciter intelligi potest, quod fides discursiva sit. Primo, ex principiis non reuelatis. Primo modo discurreret, si haberet hos tres actus realiter distinctos: Deus est summa veritas, seu quicquid reuelat, est verum: Deus reuelat incarnationem: ergo vera est incarnatio: tunc enim non ex reuelatis propter reuelatis, sed ex veritate, & reuelatione Dei inferret per veram, & formalem argumentationem veritatem incarnationis. Secundo modo discurreret, si ex duabus reuelatis inferret aliam, v. g. Omnis sacerdos ritè ordinatus habet potestatem consecrandi: Apostoli fuerunt ritè ordinati: ergo habuerunt potestatem consecrandi. De hoc secundo modo non occurrit hoc loco dicere, cum de illo dixerimus latè disp. 1. sect. 1. §. 2. ubi ostendimus, quando conclusio illa pertineret, vel non pertineret ad fidem. Tota ergo difficultas præsens est primo modo, an assensus obiecti reuelati, qui sit propriè assensus fidei, generari possit per verum discursum ex veritate, & reuelatione Dei.

SECTIO I.

Assensum fidei generari posse per discursum formalem.

Supponendum est, duplicem esse discursum, scilicet virtutalem, & formalem. Formalis dicitur, quando ex præmissis realiter distinctis inferretur conclusio per realem illationem; in quo discursu diximus iam supra disp. 1. debere intervenire duas præmissas saltem implicite, quia ex vnicò antecedenti non potest fieri illatio bonæ: debet enim præcedere connexio mediæ cum terminalibus extremitatibus scilicet, ut sequatur connexio extremitatum inter se. Discursus virtualis est, quando vnicò actu assentior obiecto conclusionis & præmissarum, vni propter aliud: ut si vnicò actu dicas: Philosophus est risibilis, quia est homo, & quia omnis homo est risibilis. Non enim repugnat intellectum in plura obiecta subordinata tendere per vnum indiuisibilem actum, ut suppono ex Philosophia. Quo supposito, non dubito, quin fides possit discurrere saltem discursu virtuali; immò sanè debet; cum enim assensus ad mysteria reuelata, non sint assensus ad prima principia immediata, sed potius sint assensus mediatæ & propterea; necesse est, quando fides credit incarnationem, v. g. habere ad minus discursum virtutalem & dicere: incarnatio falsa est, quia Deus summè verax id reuelauit. Qui assensus quatenus terminatur ad veritatem Dei, & ad reuelationem est certus, & immediatus; quatenus verò terminatur ad incarnationem, est obiectivus, certus, & mediatæ, propter latè explicitum est supra disp. 1. Quæstio ergo est, an possit fides per actus etiam distinctos præmissarum & conclusionis exercere hunc discursum formalem.

Prima sententia negat; ita Capreolus in 3. dist. 24. q. 1. art. 3. ad 3. contra secundam conclusionem, Canus ibi. 1. 2. de locis cap. 3. Bañes in præfati 1. q. 1. art. 1. circa finem. Valentia disp. 1. q. 1. p. 2. Suarez in præfati disp. 6. sect. 4. Coninch. disp. 9. dub. 7. Granado tract. 9. disp. 1. n. 8. & alij recentiores, quorum fundamenta postea videbimus, & dissoluemus.

Secunda sententia probabilior affirmat, actum fidei posse per formalem discursum generari ex reuelatione & veritate Dei modo explicato, ita Okam quodlibet. 3. q. 7. & in 3. sententiarum q. 8. art. 3. Gabr. in 3. d. 23. q. 2. Almainus q. 3. Martius etiam in 3. q. 14. art. 1. P. Vazquez 1. p. q. 1. disp. 1. num. 5. P. Becanus in præfati cap. 8. q. 3. P. Hurtado disp. 39. P. Ripalda tom. 1. de ente supernaturali disp. 55. n. 31. & alij recentiores: & videtur de mente S. Thomæ in præfati q. 1. art. 1. ubi comparat fidem cum Geometria in hoc, quod sicut Geometria obiectum formale est medium quo virtus ad demonstrationem, ita fides habet auctoritatem Dei pro obiecto formali, ergo sentit S. Doctor auctoritatem diuinam esse medium, quo virtus fides ad concludendum, sicut Geometria virtus: etiam medio ad conclusionem formalem inferendam ex suis principiis.

Ratione probatur hæc sententia, quia quando aliqua obiecta ita se habent, ut vnum non sit aliud, & habeat auctoritatem sufficientem, ut possit cognosci.

cognosci sine alio, non est cur noster intellectus non possit seorsim in illud tendere: sed auctoritas diuina habet entitatem, & veritatem sufficientem, ut possit seorsim cognosci, quin cognoscatur incarnatio, ergo licet noster intellectus non possit credere incarnationem, quin simul cognoscat auctoritatem Dei; poterit tamen cognoscere auctoritatem Dei, quin credat simul incarnationem: ergo poterit dari hæc propositio seorsim in intellectu: *Deus est prima veritas*: quod idem argumentum fieri potest de altera propositione, qua dicitur: *Deus reuelauit incarnationem*: cur enim non potuerunt etiam cognosci seorsim, cum non pendeant à veritate incarnationis, tanquam à ratione formali, vel moti-uo, propter quod ipse credantur, sed potius e- contra, ipsæ sint ratio formalis ad credendam incarnationem? Quod si illæ veritates possunt seorsim cognosci, non apparet, cur ex illarum notitia non possit per bonam illationem inferri veritas incarnationis, aut cur illa cognitio incar- nationis deducta ex illis præmissis, non sit actus fidei, cum sit assensus incarnationis innitens im- mediatè in auctoritate diuina, tanquam in ra- tione proxima credendi incarnationem.

Confirmari potest exemplo voluntatis, in qua suo etiam modo reperitur uterque discursus, virtualis scilicet, & formalis: nam sicut intellectus assentitur vni propter aliud, & à veritate vnius obiecti mouetur ad amplectendam veritatem alterius; ita voluntas amat vnum propter aliud, & à bonitate vnius obiecti, nempe finis, mouetur ad amandam bonitatem vtilis alterius, nempe mediij: & sicut obiectum præmissarum est obiectum formale, & obiectum conclusionis est obiectum materiale; ita finis est obiectum formale voluntatis, & media sunt obiecta materiale; & sicut diximus, intellectum posse vnico actu assentiri præmissis obiectiui, & conclusioni, & potest etiam pluribus actibus id facere; ita vo- luntas potest vnico actu velle finem, & media propter finem, & potest etiam pluribus actibus id facere, amando prius finem, & postea alio actu amando medium propter finem, quem possumus appellare quasi discursum formalem voluntatis, quæ ex amore vnius obiecti discurret & progre- ditur ad alium actum, & amorem alterius obiecti. Quæ cum ita sint, & tanta similitudo reperitur inter has duas potentias, consequens est, ut ead- em proportio debeat seruari quoad modum at- tingendi obiectum formale, & materiale, quod sine inconuenienti fieri potest. Vnde in ordine etiam actuum supernaturalium eadem proportio ponenda est inter vtramque potentiam, atque ideo, sicut voluntas, etiam per habitus & actus supernaturales, aliquando vnico actu prosequitur finem, & media, obiectum formale, & materiale; aliquando plurib. actibus distinctis; sic etiam concedendum est, intellectum etiam per habitus, & actus supernaturales posse aliquando vnico actu amplecti principia, & conclusiones, aliquan- do etiam pluribus. Supernaturalitas enim non impedit, quod charitas, licet aliquando vnico actu possit diligere Deum propter se, & proxi- mum propter Deum; possit etiam aliquando vno actu seorsim diligere Deum, & postea ex hoc actu moueri ad alium actum, quo diligit proxi- mum propter Deum; quorum actuum prior mo- ueat ad posteriorem, & sit causa illius. Similiter ergo supernaturalitas non impedit, quod fides,

licet possit vnico actu credere incarnationem v. g. propter veritatem, & reuelationem Dei; possit etiam pluribus actibus id facere: creden- do prius seorsim veritatem, & seorsim reuela- tionem Dei, & postea alio actu credendo incar- nationem propter veritatem, & reuelationem Dei, quorum actuum primi duo moueant ad ter- tium & sint causæ illius: nulla enim videtur esse maior repugnantia in discursu intellectuali, quàm in discursu voluntatis, nec vlla apparet ratio, cur proportio in aliis reperta inter vtran- que potentiam etiam in ordine actuum superna- turalium in hoc vno debeat deficere.

Dicunt, in actibus fidei infusæ non posse ser- uari hanc proportionem: quia in fide non possit resolui discursus in aliqua principia per se im- mediatè credita: omnes enim, & singuli actus fidei debent inniti auctoritati diuinæ, alioquin non erunt actus fidei; illæ ergo præmissæ vel inniteren- tur auctoritati diuinæ vel non. Si nõ inniterentur, non essent actus fidei: si verò inniterentur, ergo etiam fierent per alium discursum formalem, de cuius præmissis redit eadem difficultas: semper ergo deueniendum est ad primum assensum, quo credatur veritas Dei, quia Deus Cam reuelauit. Sicut ergo ille primus assensus credit veracita- tem Dei, & simul reuelationem veritatis sine discursu, idem dicendum erit de assensu incarna- tionis, & fatendum, hanc esse naturam fidei in- fusæ, ut sine discursu credat simul rem reuela- tam, & auctoritatem Dei, propter quam cre- ditur.

Hæc tamen responsio, quæ est præcipuum ar- gumentum contrariæ sententiæ, nititur falso fundamento, ut latè probauimus *disp. 1.* vbi ostendimus, non posse intellectum nostrum as- sentiri alicui obiecto, nisi eius veritas appareat intuitiue, aut euidenter, vel certè obscure, im- mediatè tamen, vel propter aliud, quod vltimò ap- pareat immediatè euidenter, vel obscure, & in quo vltimò sistat, immò nec posse intellectum eleuari ad aliter assentiendum: sicut nec volun- tas potest vilo modo amare, nisi quod propo- nitur bonum in se, vel saltem vtile ad aliud, quod sit bonum in se, & in quo vltimò sistat affe- ctus. Vnde impossibile est credere veritatem Dei solum propter eius reuelationem, cum non arguatur bene aliquem esse veracem ex eo, quod ipsemet id testificetur de se, nisi aliunde ali- quo modo habeamus, illum in hoc ipso non mentiri; & multò minus credi potest, Deum reuelare, quia est verax cum possit esse summè verax, & nihil reuelare. Vnde intulimus, illa duo principia fi- dei, nempe veritatem, & reuelationem Dei de- bere credi immediatè, & non propter aliud, ve in ipsis fundari possit assensus fidei circa myste- ria reuelata. Falsò igitur supponitur assensum fi- dei circa veritatem, & reuelationem Dei esse etiam propter auctoritatem Dei, sicut assensus incarnationis est propter eandem Dei auctori- tatem: hoc enim est impossibile sine processu in in- finitum necessario ad resolutionem fidei, ut ibi la- tius ostensum est.

Illud etiam displicet valde in sententia contra- ria, quod aliqui eius auctores, ut effugiant for- tasse argumenta sententiæ nostræ, & longius à discursu in fide absint, videntur discursum etiam virtualem in ea negare. Ita Coninch. *dicto dub. 7. num. 102.* vbi in sola fide humana concedit di- scursum aliquem saltem virtualem, non verò in

5

6

Reiicitur
præcipuum
argumentum
contrariæ
sententiæ.

7

fide

fide diuina. Hoc autem nescio, quomodo intelligi possit, si intelligatur, quid significetur per discursum virtualem, & simul concedatur id, quod negari non potest, nec ab ullo negatur, fidem non credere incarnationem, v.g. sistendo in ipsa, nec propter ipsam, sed propter diuinam auctoritatem. Quid enim est discursus virtualis circa incarnationem, nisi moueri ab auctoritate diuina ad illam credendam? aut quomodo potest diuina auctoritas mouere ad credendam incarnationem, nisi quatenus apparet talis connexio inter vnam & aliam, vt non possit esse Deus summè verax reuelans incarnationem, quin incarnatio vera sit, nec possit altera negari ab altera cōcedente: hoc autem est virtualiter discurre, scilicet, moueri ex vno vero concessio per eundem actum ad assentiendum alteri propter connexionem, quæ inter vtrumque apparet. Sicut velle vnum propter aliud, est moueri à bonitate vnius obiecti volita per eundem, vel per alium actum ad volendum aliud connexum cum illo, seu propter utilitatem ad illud.

8
Non est idem
cognosci vnu
ex alio, &
cognosci vnu
in alio.

Vbi obiter aduerte, non esse idem cognosci vnum ex alio quo casu interuenire diximus discursum saltem virtualem; & cognosci vnum in alio, quo casu nullus discursus etiam virtualis intercedit. Sic enim beatus cognoscens in omnipotentia Dei creaturas possibiles, vel Angelus cognoscens effectus in causa à se comprehensa, cognoscunt quidem vnum in alio, & in eo sensu dicuntur creaturæ, vel effectus cogniti esse obiectum materiale, obiectum verò formale esse omnipotentiam Dei visam, vel essentiam causæ comprehensam. Tunc tamen non habetur vllus discursus, quia discurre est procedere vel formaliter, vel saltem virtualiter ex vna cognitione, vel ex vno assensu ad alium. Quare debent interuenire duo assensus vel realiter, vel virtualiter diuersi: singuli autem assensus, debent tendere directè ad aliquam veritatem, quam affirmant. Quod fit, quando cognoscimus vnum ex alio, quia affirmamus principia, & ex veritate principiorum mouemur ad affirmandum etiam directè obiectum conclusionis, cuius veritas in se non apparet, & ideo debet affirmari propter aliam veritatem, quæ in se apparet. Quando verò vnum non cognoscitur ex alio, sed in alio, non est duplex assensus etiam virtualiter distinctus, nec duplex affirmatio, sed vnica simplicissima vnius veritatis, qua Beatus, v.g. non dicit, *creaturæ sunt possibiles, quia Deus habet potentiam ad illas producendas*: hic enim esset discursus virtualis, sed dicit solum, *Deus potest producere creaturas* non affirmando directè creaturas, sed solum potentiam Dei ad illas producendas, & ideo creaturæ non sunt obiectum directum, sed solum indirectum, & obliquum, seu terminus potentie diuinæ, quæ sola affirmatur. Quamvis autem in vtroque casu cognitio sit per medium, in primo tamen casu est medium, ex quo, in secundo autem casu est solum medium, in quo. Medium verò, ex quo, inportat magnam imperfectionem in cognoscente, quia vitur argumentis, & alia veritate ad adherendum, & assentiendum alteri: quam imperfectionem non affert medium, in quo, sed perfectionem magnam, nempe ita perfectè penetrare veritatem, cui assentitur cognoscens, vt penetret perfectè, & distinctè ordines ad obliqua, qui penetrari non possunt non cognitis indirectè, & in obliquo terminis.

Atque ideo suprà disp. 2. sect. 2. diximus, posse stare cum cognitione intuitiua perfectissima, & beata cognitionem abstractiuam & indirectam eiusdem obiecti cogniti in alio, tanquam in medio, in quo; non tamen posse stare cognitionem eiusdem obiecti per discursum formalem, vel virtualem per medium, ex quo, quæ supponit imperfectionem, & indigentiam in cognoscente. In casu itaque nostræ quæstionis incarnatio non cognoscitur in alio, sed ex alio, & per medium ex quo: nam intellectus per fidem non credit solum Deum veracem reuelare incarnationem, ita vt incarnatio solum cognoscatur, & creditur indirectè, & in obliquo, tanquam terminus reuelationis Dei veracis, sed creditur in recto, & directè veritas incarnationis, quæ cum non appareat in se, non potest intellectus ei veritati assentiri directè, nisi innitatur alteri veritati, quam directè etiam credat, atque ideo necesse est, quod interueniat discursus aliquis saltem virtualis, qui habet easdem omnino difficultates, si quæ sunt, quas Auctores contrariæ sententiae inuenire conantur in discursu formali, ex quarum solutione melius nostræ sententiæ probabilitas apparebit.

SECTIO II.

Argumenta contraria proponuntur, & dissoluntur.

Obiiciunt primò. Ille assensus esset Theologicus: in hoc enim differt fides à Theologia, quod Theologia habeatur per discursum, fides sine discursu. Respondeo, fidem, & Theologiam non differre in hoc, sed in eo quod fides innitatur reuelationi, non mediata, sed immediata: Theologia verò innitatur etiam reuelationi, sed mediata, nam immediata fundatur in mysterio reuelato, vt diximus disp. 1.

Obiiciunt secundo, quia fides, quam habuerunt Angeli in via, & fides nostra sunt eiusdem rationis; & tamen in Angelis non potuit esse cum discursu, quippe qui non possunt discurre, ergo nec in nobis potest generari per discursum. Respondeo in primis, licet fides nostra conueniat cum Angelica in obiectis creditis, in obscuritate, in ratione formali, in certitudine, & supernaturalitate; non tamen necesse est, conuenire in modo tendendi: potuit enim Angelis proportionari ad eorum naturæ modum operanti, & per hoc differre à nostra fide, quod in ipsis esset cum solo discursu virtuali, in nobis autem posset esse etiam cum discursu formali. Adde, licet Angelus circa obiecta naturaliter scibilia, & quæ intueretur, non discurrat, posse tamen discurre circa ea, quæ supernaturaliter, & obscure cognoscit iuxta sententiam valde probabilem quam defendunt plures, quos sequitur P. Suarez lib. 2. de Angelis cap. 3, & alij plures, & docti Recentiores.

Obiiciunt tertio Assensus genitus ex illis datibus præmissis esset necessarius, posita enim vtriusque illa præmissa, euidenter inferret conclusio, & intellectus determinatur ad assensum conclusionis: ergo non est assensus fidei; hæc enim semper prærequirit piam voluntatis affectionem liberè imperantis assensum. Respondeo, piam voluntatis affectionem non tam desiderari ad credendum

dendam incarnationem, quam ad credendum, Deum reuelasse incarnationem: quare si iam ex pia affectione creditur super omnia veritas Dei, reuelatio incarnationis, & bonitas illationis, non est inconueniens, quod non requiratur alia pia affectio ad assentiendum conclusioni, quæ cuiusdam infertur ex illis principiis. Meritum ergo, & libertas fidei non versatur circa conclusionem præcisè, sed circa omnem discursum siue formalem, siue virtuale; propterea complectitur assensus principiorum, & conclusionis.

Obiiciunt aliqui contra hanc solutionem, ergo poterit etiam dici, quod conclusio fit ex apprehensione terminorum, quia præmissæ à quibus pendet sunt ex apprehensione terminorum; sicut dicitur assensus incarnationis procedere à voluntate, eo quod assensus præmissarum oriatur à pia affectione. Respondeo, argumentum esse contra omnes; quia omnes dicunt mortem sequitam ex vulnere esse voluntariam, & procedere à voluntate, quamuis solum procedat mediante vulnere, ergo sufficit processio mediata, ut dicatur simpliciter voluntaria, & libera. Quando vero diceretur, conclusionem cognosci ex penetratione terminorum, iuxta communem sensum significaretur, quod conclusio oriatur ex penetratione terminorum eiusdem conclusionis, non ex penetratione terminorum præmissarum: & ideo propter diuersum sensum illorum verborum, vitium illo modo loquendi absque explanatione. Videatur Hurtado ubi supra §. 26. & 34. qui facit assensum conclusionis in fide non esse in se formaliter liberum, sed denominatiue à libertate assensus circa principia.

Obiiciunt quartò, quia in omni discursu formali, quo assentimur conclusioni propter præmissas, necesse est assentiri certius præmissis, quam conclusioni iuxta doctrinam Aristotelis vulgarem, quia propter quod unumquodque tale, & illud magis. Ergo si assensus incarnationis est propter præmissas, magis & certius assentimur præmissis. Consequens autem est falsum, quia fides æquè certò credit quaecumque credit. Ergo. Respondeo, concedendo primam consequentiam, si sermo sit de certitudine propter maiorem adhesionem intellectus ad obiectum: nam regulam illam Aristotelis existimo omnino veram, comparando quamlibet conclusionem cum principiis illis, propter quæ præcisè assentimur conclusioni. Quandocumque enim alicui assentior præcisè propter aliquas duas præmissas, necesse est magis firmiter adherere principiis, quam conclusioni, sicut necesse est magis amari per voluntatem finem quam medium, quando præcisè amat medium propter finem. Dixi: quando præcisè assentitur, vel amat. Quia si conclusio illa simul habeatur ex aliis principiis, vel etiam ex apprehensione terminorum; non repugnat tunc magis assentiri conclusioni, quam alicui principio; sicut quando medium amatur propter duos fines, poterit magis amari, quam aliquis finis eorum seorsim. Concedo ergo, intellectum magis assentiri principiis fidei, quam mysterio reuelato: qui excessus non consistit in eo, quod mysterio assentiat cum aliqua incertitudine, aut formidine, sed in eo quod taliter assentitur mysterio propter principia, ut si alicui ex illis negandus esset assensus, potius negaretur mysterio, quam principiis: hæc enim conditionalis imbibitur essentialiter in assensu, vel amore vnius

obiecti propter aliud, ut dixi in superioribus. Neque in hoc est aliquid absurdum, quando enim dicitur omnes propositiones fidei esse æquè certas, si sermo sit de certitudine adhesionis, debet intelligi, facta comparatione inter mysteria reuelata inter se, fides enim non magis adheret vni mysterio, quam alteri, secus verò si comparatio fiat inter mysteria & rationem formalem credendi. Loquendo autem de certitudine, propterea significat repugnantiam cum falsitate, æqualis est hæc repugnantia in assensu conclusionis, & principiorum fidei; cum omnes sint æquè supernaturales.

Sed contra obiicies quinto. Ergo actus fidei potest esse minus certus certitudine adhesionis quam præmissa naturalis: probatur sequela, quia illa propositio: *Deus est summa veritas*, potest cognosci per actum naturalem evidentem, & ex illa, & altera, qua cognoscatur, Deum reuelasse incarnationem, infertur veritas incarnationis per discursum formalem, qui fidei non repugnat, ergo illa præmissa naturalis erit certior, quam conclusio fidei, quia omnis præmissa est certior sua conclusione. Aduerte, hæc duo argumenta eodem modo procedere contra discursum virtuale; nam licet eodem actu assentiamur mysterio propter reuelationem, magis tamen debemus adherere reuelationi; sicut licet eodem actu voluntas velit medium, & finem, magis amat finem; unde assensus etiam ille propter terminatur ad mysterium minus adheret mysterio quam intellectus adheret veritati Dei per actum naturalem, si hic esset super omnia. Ad argumenta ergo respondeo, negando sequelam: nam licet prima veritas Dei possit euidenter cognosci per actum naturalem, illa tamen cognitio nunquam potest esse præmissa respectu conclusionis quæ eliciatur per fidem. Ratio autem est, quam tetigi supra disputatione 1. quia scilicet assensus fidei non fertur utcumque in suum obiectum, sed quidem super omnia, ut dixi disputatione precedenti, qui modus adherendi super omnia, non solum debet temperari in assensu mysterij reuelati, sed etiam in assensu principiorum propter quæ creditur mysterium: alioquin neque ipsum mysterium posset credi super omnia, quia non possumus magis adherere obiecto conclusionis quam principiis; si cur nec possumus amare magis medium, quam finem; ergo sicut ex amore naturali Dei, qui non sit super omnia, non potest procedere electio medij ad gloriam Dei, quæ feratur in illud medium super omnia; sic neque ex assensu principij non super omnia, potest procedere assensus conclusionis super omnia: illa autem præmissa de facto semper est supernaturalis, quoties assensus conclusionis est supernaturalis.

Dices; sicut fides potest elicere assensum super omnia circa veritatem Dei, sic etiam virtus naturalis intellectus: Cur enim non poterit? Ergo ex tali assensu naturali poterit bene inferre fides suam conclusionem: Antecedens probatur etiam in hæretico, qui suo errore, quem existimat esse de fide, assentitur etiam super omnia; & in rustico ex errore credente, Patrem incarnatum esse, qui huic etiam obiecto assentitur super omnia virtute naturali. Respondeo, quidquid sit de possibili, de facto tamen nunquam fieri illam præmissam naturalem super omnia, quoties proponitur obiectum proportionatum, quia Deus concurret per concursum solum supernaturalem, ut actus fiant proportionati ad nostram salutem,

13
Obiectio 5.

vt latè dixi in tract. de gratia, vbi rationem reddidimus. Si autem prout aliqui volunt, darentur simul alij actus fidei naturales ex eodem imperio voluntatis, tunc quoad adhesionem tam firmus esset assensus naturalis circa conclusionem, & circa principia quàm assensus supernaturales. Sed de facto non dantur tales actus naturales concomitantes, nec si darentur, essent æquæ certi quoad repugnantiam cum falsitate, vt vidimus *disput. præcedenti*.

Obiectio 6. Sexto obijciunt, quia idem habitus non tendit ad conclusionem, & ad principia; ergo si assensus fidei habetur per discursum formalem, ponendi sunt duo habitus, alter ad conclusionem, & alter ad principia. Huic obiectioni respondetur facile ex dictis, *disput. 1.* nam est habitus acquisitus non posset idem extendi ad conclusionem, & principia: habitus tamen infusus, qui datur ad modum potentia, latiore habet sphaeram, vt ibi dictum est.

Obiectio 7. Septimo obijciunt, quia omnes debemus admittere aliquem assensum fidei, qui sit propter reuelationem, & non sit cum discursu; ergo idem potest dici de omnibus. Antecedens probatur, quia ipsa principia fidei, nempe veracitas, & reuelatio Dei, creduntur per fidem ad credendam incarnationem; & non creduntur cum discursu antecedenti, ergo. Ita arguit Suarez *vbi sup. n. 4.* Respondetur facile, illis principis assentiri per fidem sine discursu formali vel virtuali, quia illa cognoscuntur ex terminis saltem obscure vt vidimus *disput. 1.* Incarnatio autem nullo modo apparet ex terminis; debet ergo cognosci per aliquod medium, & per consequens cum aliquo discursu, qui sicut aliquando est virtualis, ita poterit etiam aliquando esse formalis.

Obiectio 8. Octauo obijciunt auctoritatem multorum Patrum, qui dicunt, fidem non esse inquisitionem, non inniti probationibus, non esse argumentorum concertationibus stabilitam, &c. ita Basil. de fidei confessione & in psal. 115. Damasc. lib. 4. c. 12. Augustinus 18. de Cinitar. c. 42. & alij. Respondetur, prædictos Patres à fide excludere rationem, & discursum, prout ratio opponitur contra auctoritatem: cæterum se ipso quod supponant mysteria credi propter Dei reuelationem, inuoluitur ibi discursus ex auctoritate Dei reuelantis ad mysteria reuelata. Et quidem hoc etiam argumentum, sicut & alia militat contra discursum virtualem: nam Patres, quando à fide excludunt rationes, probationes, argumenta & similia, non curant de discursu formali, vel virtuali; tam enim esset contra fidei naturam; quod eius assensus prout fidei est, niteretur rationibus, & probationibus, quæ non essent à mera auctoritate Dei, per discursum solum virtualem, quàm si id fieret per discursum formalem; sicut non minus repugnat fidei humanæ, prout fides humana est, duci ab aliis rationibus, vel ab experientia propria ad credendum, & non ab auctoritate, & testimonio dicentis, si id fiat per vnicum actum, & discursum virtualem, quàm si fieret per plures actus, & per discursum formalem. Sic etiam quando ad contritionem perfectam exigunt Patres, & Theologi, quod homo doleat de peccato, non propter aliam motiuam, sed ex motiuo dilectionis Dei, non excludunt solum pluralitatem actuum, ita vt non procedat dolor ille ex actu distincto, qui sit amor alterius finis creati, sed multò magis excludunt, quod eodem actu ametur ille alius finis creatus

cuius bonitas, & non bonitas infinita Dei moueat ad dolendum de peccatis.

Nonò obijciunt, quia si fides aliquando potest credere mysterium reuelatum sine discursu formali, ergo nunquam potest credere cum illo: quia operari cum discursu, & sine discursu est differentia magna, quæ argueret diuersitatem in ipso habitu. Respondetur, hoc argumentum nec adhuc de habitu acquisito probare; quia idem habitus fidei humanæ sufficit, vt aliquando per plures actus, & per discursum formalem, aliquando per discursum virtualem, & vnicò actu credamus amico nobis aliquid testificantem: nam licet initio indigemus discursu formali, postea tamen exercitio, & consuetudine faciliore sumus, vt absque discursu formali, & solum cum virtuali credamus. Similiter voluntas indiget initio quasi discursu, vt ex amore præcedenti finis procedat ad electionem medijs occurrentis; postea vero ex habitu acquisito sine tot actibus statim vnicò actu vult media occurrentia propter illum finem; imò ad hoc deseruit habitus, & facilitas acquiritur. Ratio autem est, quia licet illi actus circa finem seorsum differant physice ab actibus circa medium propter finem; sed tamen ratione eiusdem motiui æquiualent illis, quod sufficit, vt ab eodem habitu possint procedere. Sicut amor, & odium differunt etiam maxime specie physice; & tamen idem habitus quo amamus bonum amici, condecit ad odium circa malum eiusdem amici. Habitus enim ille, vt suppono, sunt species bene ordinatæ repræsentantes motiuum, quæ æque deseruire possunt ad omnes actus circa illud motiuum, siue sint plures, siue pauciores. Quod multò magis procedit in habitibus infusis, quia non generantur ab actibus; & constat manifestè in habitu charitatis, quo possumus amare Deum, & proximum propter Deum per actus distinctos, quorum vnus procedat ab alio, vel etiam vnicò actu indiuisibili, quo diligimus proximum propter Deum dilectum super omnia. Idem ergo poterit habitus infusus fidei, cum nulla sit ratio maioris limitationis in eo ponendæ.

Decimò obijciunt, quia si fides viretur discursu formali, ille generaret habitum per se acquisitum ad talem discursum; quod tamen est omnino falsum. Hoc etiam argumentum æque procedit de discursu virtuali: non minus enim generari posset habitus acquisitus ex illo ad similes discursus virtuales, quàm ex discursu formali. Imò etiam si neges discursum etiam virtualem in fide eadem est difficultas, cur ille assensus mysterij propter auctoritatem Dei, quicunque ille sit, non posset generare habitum ad similes actus. Idem etiam procedit in actibus supernaturalibus voluntatis: siue enim charitas diligat proximum propter Deum vnicò actu, siue pluribus, cur illi actus non generabunt habitum ad alios similes actus? omnes ergo respondere debent, & quicunque rationem attuleris, cur in aliis casibus actus supernaturales non generet habitus acquisitos, applicare poteris ad discursum formalem fidei, qui cum sit etiam supernaturalis, ideo non poterit habitum generare. In mea autem sententia nulla est difficultas: dixi enim in lib. de animæ, cum habitus acquisiti sint species bene ordinatæ has non minus relinquere ex actibus supernaturalibus, quàm ex naturalibus, & ideo vtrouque nos eodem modo ab ipso exercitio experiri facilitatem postea ad operandum: quæ species manent

manent etiam postea in peccatore, imò in eo etiã qui per infidelitatem perdit habitum infusum fidei: non tamen dicuntur manere charitas, vel fides: quia hæc nomina competunt virtutibus infusis, de quo suo loco dicendum est.

Vndecimò obiciunt, quia si actus fidei in homine esset cum discursu formali, & in Angelo sine illo, sequeretur perfectionem esse in Angelo, qui excessus maioris perfectionis non refundetur in habitum infusum, quem supponimus esse in utroque æqualem, sed in solam maiorem perfectionem naturalem Angeli, ex qua proveniret, perfectiores fidei assensus habere, quod videtur absurdum. Hoc argumento nimium premit se P. Hurtado *ubi supra* §. 3. 2. & 3. 3. cum tamen idem argumentum ab omnibus solvendum sit. Nam licet fides non discurrat, negari non potest, aliquas imperfectiones reperiri in actibus fidei nostris, quæ non reperiuntur in actibus fidei in Angelis. Actus enim nostri propter imperfectionem nostri intellectus sunt cum conversione ad phantasmata, & per species rerum materialium, unde proveniunt, quod crassiori, & rudiori modo exprimant obiecta, minùsque distinctè, quàm actus Angelici, in quibus eiusmodi imperfectiones non sunt. Quare idem argumentum fieri posset de excessu illo perfectionis, quem habent, an proveniat à maiori perfectione naturæ: & consequenter idem queri posset de actibus supernaturalibus voluntatis, qui etiam posita perfectiori cognitione obiecti, perfectius etiam illud attingunt, hoc est, cum maiori distinctione, & subtilitate, proptèr subtilius, & distinctius propositum est.

Omissa ergo responsione Hurtadi, quæ obscurior fortasse est, respondeo faciliè iis, quæ dixi *i. p. tract. de visione Dei*, in primis nihil esse perfectionis in actu Angeli, quod sit à sola potentia naturali, & non ab habitu infuso: cum n. totus actus sit ad æquale supernaturalis, nullà est formalitas in ipso à sola potentia naturali. Deinde non est maior firmitas adhesionis, aut maior intentio, vel certitudo in vno actu, quàm in alio, neque etiam maius meritum cæteris paribus. Quod autem actus Angeli habeat aliquam maiorem perfectionem physicam ex eo, quod sit actus Angelicus, nullus, est absurdum: quia gratia se accommodat naturæ, & eleuat illam iuxta modum operandi cuiuslibet principij. Quod etiam inter homines ipsos contingit; nam homo Theologus, & doctus, qui meliores, & magis distinctas species habet de obiectis fidei, cum æquali habitu infuso fidei, elicit actus meliores quoad modum attingendi, & exprimendi obiecta magis distinctè, & explicitè, quàm rusticus, qui elicit actus crassiores, & magis confusos, non tamen magis meritorios, aut magis firmos. Cur autem Angelus, & homo cum æquali lumine gloriæ eliciant visiones Dei æquè perfectas, rationem discriminis ibi assignavi. Gratia enim, & habitus infusi aliquando eleuant subiectum solù ad actus supernaturales eliciendos similes omnino illis, quos naturaliter elicere posset, quoad omnia præterquam quoad solam supernaturalitatem; qui ideo à S. Thoma aliquando dicuntur supernaturales solùm quoad modum; non quia substantia etiam ipsa talium actuum non sit supernaturalis; sed quia modus tendendi ad obiecta sit omnino similis actibus naturalibus: & tunc, si subiectum per vires naturales poterat elicere actus magis claros, eliciet cum habitu

Card. de Lugo de virtute Fidei divina.

actus supernaturales magis claros. Aliquando verò gratia, & habitus infusus eleuat subiectum ad actum, cui similem in modo tendendi ad obiectum non possit naturalibus viribus elicere, qualis est visio clara Dei, cuius tendendi modum imitari non potest natura humana, vel Angelica, cum nec homo, nec Angelus possint naturalibus viribus habere cognitionem quidditativam & immediatam obiecti summè simplicis, qualis est Deus sed solum per alienas species, & ad similitudinem aliarum rerum minùs simplicium possunt concipere Deum. Quare non eleatur intellectus Angelicus, ut Angelicus, nec humanus ut humanus ad illam visionem, sed uterque sub ratione communi intellectus quatenus est capax intelligendi. Unde parum refert esse intellectum Angelicum, ut visio Dei sit magis clara, vel distincta.

Quam differentiam eleuationis soleo ego explicare hoc exemplo vulgari. Si v. g. Deus eleuet duos calamos, alterum bene, alterum malè apertum, utrumque tamen eleuet, ut formet characteres aureos, quoscumque formaverit: uterque quidem formabit characteres æquè aureos: alter tamen formabit eos perfectos, & pulchros; alter imperfectos, rudes, & impolitos; quia nimirum uterque eleuatus fuit ad formandos characteres aureos similes quoad reliqua iis characteribus quos seclusa eleuatione formare posset. Hoc modo eleuantur intellectus Angelicus, & humanus per habitum fidei, ad formandos actus fidei aureos hoc est, supernaturales, & ordinis diuini, sed similes quoad reliqua iis actibus quos singuli possent sine eleuatione formare. Quare utriusque actus sunt æquè aurei, & supernaturales? sed tamen dissimiles quoad reliqua, quia habitus se accommodat subiecto, & solùm addit supernaturalitatem in actibus, qui quoad reliqua sunt Angelici, vel humani. Si verò Deus eleuet oleum & aquam ad producendam gratiam æquali eleuatione; oleum, licet in se perfectius sit, quàm aqua, non producat meliorem gratiam: quia non eleuantur ad producendum cum proportionem ad effectus, quos oleum, & aqua ut aqua producere possunt, sed ad alium omnino dissimilem. Hoc autem ferè modo eleuantur intellectus Angelicus & humanus ad visionem Dei, nempe ad effectum similem solùm in generica ratione intellectus intuitivæ illis actibus quos uterque intellectus naturaliter producere posset, non vero similem actibus illis, quos secundum suas differentias Angelus, vel homo naturaliter habere posset circa Deum, & ideo lumen non se accommodat singulorum naturæ secundum id, quod proprium est singulorum, quia id totum impertinens est ad talem modum tendendi in obiectum diuinum.

Duodecimò obiciunt, quia eodem actu potentie visivæ videntur lux & color: ergo eodem etiam actu cognoscitur revelatio, & mysterium revelatum: ita arguit P. Arsubal *1. p. disp. 5. n. 25*. Sed consequentia negatur faciliè ab Hurtado *d. disp. 39. sect. 3. §. 2. 1.* quia color non potest emittere speciem sui se solo sine luce, ideo non potest videri quando non videtur lux: revelatio autem, & mysterium possunt singula dare speciem sui se solis. Addere possumus retorquendo exemplum ipsum, quia licet color non possit videri sine luce, lux tamen potest videri, & videtur aliquando à longè sine villo colore: similiter ergo, licet mysterium non possit credi per fidem, quia

S eodem

22
Obiectio 12.

eodem actu credatur reuelatio, prout in mea sententia debet attingi & credi per assensum ipsum, quo creditur mysterium, quia est lux quædam illuminans mysterium latens, vt credi possit: ipsa tamen reuelatio, quæ est lux, poterit credi seorsim, quin eodem actu credatur mysterium, quia lumen non indiget alio lumine, vt credatur: ille autem assensus reuelationis simul cum alio assensu veritatis diuinæ, quæ est etiam lumen partialis, & potest seorsim credi, erit principium ad inferendum tertium assensum circa mysterium, qui attingat etiam veritatem, & reuelationem.

23
Obiectio 13.

Decimotertio obijciunt, quia quando assentimur conclusioni per discursum, motuum obiectuum ad assentiendum non est solum obiectum præmissæ, sed ipsa etiam præmissæ formalis ita ut assentiatur conclusioni non solum propter obiectum præmissæ, sed etiam quia assensum dedimus illi in præmissis & ipse assensus præmissæ sit motuum ex parte obiecti: hoc autem inueniri non potest in assensu fidei: alioquin non esset Theologicus, cum haberet pro obiecto formali motuum illum assensum formalem præmissæ, qui est aliquid creatum. Ita arguunt Coninch. *dict. dub. 7. num. 121.* & Granado *dict. tract. 9. disp. 1. numero 8.* Hoc tamen argumentum supponit principium falsum, quod scilicet præmissæ formales, seu actus ipsi debeant esse obiectum ad assensum conclusionis; quod nullum vtiq; fundamentum habet, nec necesse est ad inferendam conclusionem ex præmissis habere actum reflexum supra ipsos assensus præmissarum, nec ego conincor ad amplectendam conclusionem, nisi à veritate obiectiua principiorum, sicut neque ad eligendam medicinam habeo pro motu ex parte obiecti amorem sanitatis, sed bonitatem sanitatis, & utilitatem medicinæ ad sanitatem, sic fides ad assentiendum mysterio reuelato, etiam si fiat per discursum formalem, non habet pro motu ex parte obiecti assensum circa veritatem, & reuelationem diuinam, sed ipsam veritatem, & reuelationem.

24
Obiectio 14.

Decimoquarto obijciunt aliqui recentiores de nouo huic sententiæ inconsequentiam; nam sicut colligimus habitum fidei posse diuidere illa obiecta & tendere seorsim per actus diuersos ad veritatem, & reuelationem Dei, eo quod possit tendere simul ad illa; sic deberemus consequenter concedere; quod posset habitus fidei elicere assensum circa existentiam solam Dei, quo dicat, *Deus existit*: nam eadem fides habet pro obiecto existentiam Dei, quando dicit, *Deus est verax*; vel certe, quando dicit, *Deus reuelat*: per vtrumque enim actum affirmatur existentia Dei veracis, vel reuelantis: poterit ergo fides seorsim etiam tendere ad existentiam Dei per assensum immediatum. Consequens autem est falsum; nam existentia Dei non cognoscitur à nobis in hac vita nisi vel per discursum ex creaturis, vel ex reuelatione eiusdem Dei: ergo debemus negare, quod fides possit seorsim tendere ad obiecta suarum præmissarum, licet possit eodem actu assentiri illis, & rei reuelatæ.

25
Retorqueri potest argumentum primum.

Hoc argumentum retorqueri potest in primis contra eius auctores: nam ipsi, licet negent in fide discursum formalem, non tamen possunt negare, nec de facto negant discursum virtuale: sed ponunt actum fidei, qui simul terminatur ad rem reuelatam, & ad veritatem, ac reuelationem Dei, quo dicitur: *Deus est homo, quia Deus*

est verax, & ipse hoc reuelauit: in quo actu sunt virtualiter tres assensus, vnus circa veritatem Dei, alter circa reuelationem, alius circa incarnationem reuelatam. Peto ergo ab illis, si quidem fides tendit in veritatem, & in reuelationem Dei per duos assensus virtualiter distinctos, cur non poterit rursus diuidere virtualiter assensum circa existentiam Dei, ab assensu circa veritatem, vel reuelationem, ita vt per vnum assensum terminetur ad existentiam Dei, & per alterum ad reuelationem, qui ita distinguantur virtualiter inter se sicut assensus reuelationis ab assensu veritatis, atque ideo fides dicat, *Deus est homo, & quia Deus est verax, & Deus existit*, & *Deus reuelauit*: Si enim potest ita diuidere virtualiter eos assensus; petetur iam ab illis, an ille assensus, *Deus existit*; prout virtualiter distinctus est ab aliis, sit mediatum, vel immediatum, & redit contra illos totum argumentum. Si vero negent posse ita diuidi, debent reddere rationem, cur magis possit fides diuidere virtualiter assensum veritatis ab assensu incarnationis, quam assensum existentie Dei ab assensu veritatis, vel reuelationis, & quæcumque ratio reddatur, applicari potest ad diuisionem etiam realem; cur magis possit realiter diuidi assensum reuelationis, & ab assensu incarnationis, quam assensum existentie Dei ab assensu reuelationis.

Secundò retorqueri potest argumentum contra ipsos in fide humana, quam quidem non negant esse formaliter discursiuam, atque ideo debent in ea interuenire hi tres actus: *Petrus dicit hoc, ergo hoc est verum*. Peto ergo, si quidem fides humana elicet illum assensum, *Petrus dicit hoc*, in quo inuoluitur iuxta ipsos, & affirmatur existentia Petri, cur non possit eadem fides diuidere, & seorsim affirmare, *Petrus existit*. Si enim potest, petam de illo assensu, an sit mediatum, vel immediatum? Et quidem immediatum esse non potest, quia existentiam Petri non cognoscimus immediate, sed ex operatione. Si vero est mediatum, ergo non est principium, sed conclusio. Hoc autem argumentum procedit eodem modo, etiam si dicant, habitum principiorum distinguere ab habitu conclusionis, atque adeo præmissas fidei humanæ non elici ab habitu fidei humanæ. Hoc enim ad propositum parum refert: quia ad quicumque habitum pertineat ille assensus, *Petrus dicit hoc*, de illo petam, an possit diuidere, & dicere seorsim, *Petrus existit*. Si potest, ergo assensus erit vel immediatus, & hoc non potest esse, quia existentia Petri debet cognosci per alium: vel erit mediatum; & iam erit propter aliud motuum, atque adeo fides humana non habet pro motu adæquato veritatem, & testimonium Petri. Denique, si non potest diuidere illum assensum, reddenda est ratio repugnantia, quæ eadem reddi potest in nostro casu: omnes ergo debent ad argumentum propositum respondere.

Et quidem ex ipsomet argumento haberi potuisset eius solutio: arguunt enim ab absurdo, si fides potest diuidere illa obiecta, & assentiri seorsim reuelationi, ergo poterit subdiuidere, & assentiri seorsim existentie Dei, quæ affirmatur simul cum reuelatione: hoc autem est absurdum. Hinc ergo constare posset solutio, quia si in assensu ad solam existentiam Dei seorsim appareret absurdum, quod non appareret in assensu ad reuelationem, & ideo ex illo absurdo probare volunt, hoc etiam esse impossibile; iam ergo et hoc

hoc ipso absurdo potest reddi ratio, cur fides possit assentiri seorsum reuelationi, & non existentiae Dei; quia scilicet in hoc secundo apparet absurdum, quod non apparet in illo primo; non est ergo inconsequentia concedere illud, & negare hoc, quando in illo non apparet absurdum, quod in hoc apparet. Quale autem sit illud absurdum, aut quae sit illa repugnantia, facile constare potest, si res attentè consideretur in fide humana: hæc enim, vt dixi, potest seorsum dicere, *Petrus dicit hoc*; non tamen potest dicere seorsum, *Petrus existit*. Ratio est clara, quia illa obiecta sola possumus diuidere, quorum assensus non pendet ab assensu alterius: ideo enim fides non potest seorsum assentiri incarnationi absque reuelatione, quia incarnationis assensus dependet à reuelatione, quæ est motiuum assentiendi: ideo potest assentiri seorsum è contra reuelationi absque incarnatione, quia reuelatio non dependet ab incarnatione, vt à motiuo assentiendi: ideo etiam potest assentiri reuelationi absque veracitate, & è contra, quia illa duo non sibi subordinantur, nec vnus assensus dependet ab alio, ideo ergo non potest assentiri seorsum existentiae Dei, quia affirmatio existentiae Dei dependet omnino ab affirmatione reuelationis: quia existentia in se non cognoscimus, sed ex eo quod Deus loquatur, cognoscimus illi existere: sicut quando dicit *Petrus loquitur hoc*: & implicite affirmas, Petri existere, ille assensus diuerso modo tendit ad loquutionem Petri, & diuerso ad existentiam: scilicet ad illam immediate, ad hanc mediate propter loquutionem, vnde non potest terminari assensus ad existentiam Petri seorsum, quia non haberet rationem assentiendi. Sic assensus ille: *Deus loquitur hoc* licet implicite affirmet existentiam Dei; alio tamen modo, quam loquutionem; hanc scilicet immediate, illam mediate, & cognitam per ipsam loquutionem, quæ non solum est motiuum ad assentiendum obiecto reuelato, sed etiam ad affirmandam existentiam Dei loquentis sicut loquutio Petri, & manifestat obiectum, & manifestat causam, scilicet Petrum, qui loquitur, & sicut etiam charitas, quæ diligit vno actu proximum propter Deum, potest seorsum alio actu amare Deum solum, licet non possit è contra diligere proximum absque Deo.

Dices, in illa alia præmissa, *Deus est verax*, non affirmatur existentia Dei propter veracitatem, sed æquè immediate affirmatur vtrique, ergo poterit diuidi affirmatio existentiae ab affirmatione veracitatis. Respondetur, per illam præmissam nec affirmari existentiam, nec veracitatem absolute, sed sub conditione: scilicet *si Deus est, est verax*: minus ergo poterit diuidi assensus, vt existentia Dei seorsum affirmetur absolute.

Obiiciunt decimoquinto iidem, quia si fides potest elicere discursum formalem; omnes illi tres actus erunt supernaturales: hoc autem est absurdum; quia non debent multiplicari actus supernaturales absque necessitate: cum ergo possit vnicus actus amplecti omnia illa obiecta absque discursu formali, non debent concedi illi tres actus supernaturales. Respondetur, in naturalibus etiam non debere multiplicari entia absque necessitate: deberet ergo dici, quod fides humana non possit habere discursum formalem, nec seorsum assentiri veracitati Petri, aut eius testimonio, ne multiplicentur actus. Negamus itaque, multiplicari actus absque necessitate: necesse enim est,

Card. de Lugo de Virtute Fidei Diuina.

saltem iuxta rerum naturam, vt omnis discursus virtualis possit resolui in formalem, in quo clarius apparet vis syllogismi. Vnde cum intellectus humanus habeat hunc modum operandi, debuit fides accommodari iuxta naturam intellectus, vt possit per discursum virtuale, vel etiam per formalem, quod sæpè necesse est in tardioribus, & rudioribus, tendere in sua obiecta; Omitto alias leuiiores obiectiones, quas quiuisset facile dissolvere potest.

Vltimò opponunt Suarez, & alij huic nostræ sententiæ, quod in discursu formali præter vtramque præmissam debet etiam intercedere cognitio bonitatis illationis, cui innititur etiam assensus conclusionis, cui tamen assensus fidei inniti non potest: alioquin assensus mysterij esset minus firmus, & certus, quam assensus ad illationem, cuius bonitas lumine naturæ cognoscitur. Hæc tamen obiectio examinanda, & diluenda erit seorsum *scilicet sequenti*.

SECTIO III.

An possit interuenire cognitio bonitatis illationis in discursu fidei, & qualis sit illa cognitio.

Hæc est, vt vidimus, vna ex potissimis rationibus, quibus P. Suarez, P. Coninch, & alij impugnant nostram sententiam de discursu formali possibili in fide: quia deberet assensus conclusionis inniti non in sola auctoritate Dei, sed etiam in bonitate illationis, quæ semper in quolibet discursu mouere debet ad assensum conclusionis, quæ motio significatur per illud, *ergo*, quod in qualibet conclusione apponitur, per quam particulam significamus vim illationis vnus ex alio, quam illationem per aliquem etiam assensum approbamus: quæ bonitas illationis non creditur propter auctoritatem Dei, sed lumine naturæ, & per regulas Logicas, quare assensus mysterij reduceretur tandem in veritatem regularum Logicarum, & in lumen naturæ.

De hac cognitione bonitatis illationis, & de eius necessitate, & quomodo interueniat in fide, & moueat ad assensum mysterij reuelari, diximus multa *disp. 1. sect. 13*. quæ non oportet nunc repetere. Ex iis autem, quæ ibi diximus respondere facile possumus nunc ad hanc obiectionem, & in primis respondeo, hoc argumentum etiam habere locum, licet fides solum habeat discursum virtuale, & non formalem: nam in discursu etiam virtuali inuenitur suo modo illatio vnus ex alio, & cognitio connexionis, quam habet obiectum conclusionis cum principiis obiectiuis; nam licet illa obiecta non cognoscantur per actus diuersos, cognoscuntur tamen vnico actu omnia, quæ cognoscuntur per syllogismum formalem: quare in omni sententia fatendum est, ad credendam incarnationem requiri cognitionem connexionis, quam incarnatio habet cum prima veritate, & reuelatione Dei.

Respondet aliquis, actum fidei nullo modo fundari in bonitate illationis, sed solum in auctoritate diuina; nam licet in assensu naturali requiratur, quod fundetur in bonitate illationis, in hoc tamen consistit supernaturalitas fidei, vt postquam cognoscitur bonitas illationis, possit voluntas imperare assensum innitentem solum

S 2 in

in auctoritate Dei, & non in illatione. Ita videtur indicare Suarez *disp. 6. sect. 7. num. 7.* & alibi. Sed hoc non videtur credibile. Primò, quia videtur esse supra omnem facultatem intellectus etià per potentiam obedientialem, quod assentiat alicui obiecto propter aliud, & tamen non attendat ad connexionem vnus cum alio: quid enim est assentiri propter aliud, nisi quia vnus inferitur ex alio, seu connectitur cum alio? Secundò, si hoc esset possibile, posset etiam intellectus assentiri incarnationi post cognitam reuelationem, & tamen non assentiri propter reuelationem. Hoc autem nec concedit, nec concedit ipse Suarez; ergo minus debet concedi illud primum, magis enim repugnat, quod assentiat incarnationi propter reuelationem, & tamen non attendat ad connexionem incarnationis cum reuelatione.

33 Confirmatur, quia cognitio bonitatis illationis præsupponitur, & prærequiritur, vt sententur aduersarij; ergo insit, non aliter, quàm mouendo, & inducendo intellectum ad assensum incarnationis; ergo repugnat intellectum assentiri, & non moueri à bonitate illationis cognita. Tertio, fideles, præsertim rustici, assentiuntur mysteriis fidei propter testimonium Dei, sicut assentiuntur aliis rebus propter testimonium hominum, licet cum maiori adhesionem propter decet auctoritatem diuinam. Si autem deberent assentiri diuerso modo, & non attendendo ad connexionem reuelationis cum re credita, deberent & hoc admoneri à Prælati, & Parochis; ipsi enim nec sciunt, nec scire possunt talem obligationem; & aliunde ipse Suarez fatetur, nunquam intellectum credere hoc modo alia obiecta, quæ credit per vires naturæ, quia hic modus assentiendi non est naturaliter possibilis; deberent ergo Prædicatores monere plebem, vt crederet non vticumque propter auctoritatem Dei, sed non attendendo ad connexionem auctoritatis Dei cum mysterio reuelato. Hæc omnia quis non videat esse contra omnium fidelium mentem, & experientiam? Ad obiectionem ergo debemus respondere; assensum fidei fundari quidem partialiter in bonitate illationis formalis, vel virtualis. Neque ex hoc fit, assensum incarnationis fundari in aliquo naturaliter cognito; nam licet illa bonitas illationis posset cognosci naturaliter; sicut veracitas Dei; cæterum sicut ipse habitus fidei concurret ad cognoscendam veracitatem Dei: quatenus necessaria est eius cognitio ad credenda mysteria reuelata, sic etiam à fortiori concurret ad cognoscendam bonitatem illius illationis actu supernaturali, quatenus illa etiam cognitio requiratur ad credendam incarnationem, v.g. propter Dei reuelationem, vt bene aduertit Becanus in *presenti, cap. 8. quest. 3. n. 12.* An vero fides magis assentiat bonitati illationis, quàm mysterio reuelato? Existimo idem dicendum esse; quod supra de assensu principiorum dictum est; nam quoad hoc eodem modo se habet bonitas illationis, cum in ea etiam partialiter fundetur assensus mysterij. Quando verò inferitur, quod assensus mysterij non inniteretur soli auctoritati Dei, neganda est Sequela; nam per illud, *soli*, non excluditur id, quod essentialiter inuoluitur in assensu fundato in auctoritate Dei: eo enim ipso, quod innititur auctoritati Dei, debet moueri à connexionem, quæ apparet inrer auctoritatem Dei, & veritatem obiecti reuelati, cum non possit aliter auctoritas Dei mouere ad assensum mysterij, nisi vt con-

nexa cum mysterij veritate. Sic etiam dicimus cum toto rigore, nos aliquid credidisse (soli Petro, & propter eius solum testimonium & auctoritatem; & tamen Auctores contraria sententia concedunt, in fide humana interuenire discursum formalem, & cognitionem bonitatis illationis quæ bonitas illationis non solet appellari motiuium vt quod, sed vt quo, quia est, quæ applicat, & coniungit motiuium, vt possit sufficienter mouere, sicut etiam vnio formæ substantialis cum materia non solet appellari principium operandi, nisi vt quod, quia est coniunctio formæ, vt possit operari: quamuis hoc totum pertinet posse ad modum loquendi.

Ad id verò, quod dicunt, refundi iam assensum fidei in lumen naturæ saltem ex parte, distinguendum est. Si enim sensus sit, refundi partim in aliquid, quod non sit reuelatum à Deo, nec credatur propter eius auctoritatem, concedimus nam ipsa etiam veracitas Dei, propter mouet ad credendum mysterium, non creditur propter Dei reuelationem, vt vidimus *disp. 1.* quia alioquin sequeretur vel circulus vitiosus, vel proculum in infinitum, sed aliunde debet cognosci. Quod idem diximus de reuelatione, quæ quidem non creditur, quia ipsa reuelata sit à Deo, sed aliunde ex terminis ipsi apparet saltem obscure. Eodem ergo modo dicimus, bonitatem illationis, seu connexionem necessariam inter testimonium Dei veracis, & veritatem mysterij reuelati non credi, quia ipsa etiam reuelata sit à Deo, sed ipsam ex se immediate constare. Si verò sensus sit, quod refunderetur assensus mysterij in lumen naturæ, hoc est, in aliquid cognitum per actum naturalem, negandum est: nam hæc ipsa bonitas illationis cognoscitur per actum supernaturalem elicited ab eodem habitu infuso. Sicut enim veracitas Dei, licet cognosci possit per lumen naturæ, & per actum naturalem, quoties tamen fundat, vel fundare potest discursum fidei cognoscitur per actum supernaturalem elicited ab habitu fidei; sic etiam dicendum est de bonitate illationis. Et sicut ad assensum circa veracitatem Dei præcedit pia affectio voluntatis, vt saltem assensus ille sit firmissimus, & super omnia, & aptus ad fundandam fidem mysterij reuelati firmissimam: ita præcedit pia affectio voluntatis imperans assensum firmissimum, & super omnia circa bonitatem illationis, vt possit deferuire ad assensum firmissimum circa mysterium. Nam voluntas imperans assensum firmissimum circa mysterium, imperat etiam omnia necessaria ad talem assensum, & per consequens etiam firmissimum circa principia, & circa bonitatem illationis, sine quo non esset assensus firmissimus circa mysterium reuelatum.

Cauenda ergo est vel explicanda diligenter propositio illa vniuersalis, quam aduersarij frequenter assumunt, quod omnes actus fidei debent habere pro motiuo formali reuelationem diuinam. Si enim sermo sit de iis actibus, qui proprie & strictè dicuntur *fides*, vera est propositio, ij quippe soli sunt assensus circa mysteria reuelata: ille enim assensus appellatur strictè *fides*, quo aliquid alteri credimus: quare ille assensus solus erit strictè *fides diuina*, quo Deo aliquid credimus; quod solum competit actui, quo credimus mysterium reuelatum propter diuinam auctoritatem; & ab hoc actu totus habitus habet denominationem *fidei*; si verò sermo sit de omnibus actibus

34 Assensus fidei est fundatur partialiter in bonitate illationis formalis, vel virtualis; non fundatur in aliquo naturaliter cognito.

actibus; qui eliciuntur ab habitu fidei, non est concedenda illa propositio vniuersalis; quia non omnes habent pro motu reuelationem diuinā, nec omnes sunt strictē fides, sed aliqui sunt principia fidei, qui tamen eliciuntur etiam ab eodem habitu fidei. Sicut etiam ab habitu *Penitentiae* eliciuntur multi actus, qui non sunt penitentiae, sed desiderium non peccandi, gaudium de peccato vitato, & alij similes, licet ab actu detestationis, & penitentiae totus habitus appelletur *Penitentia*.

Denique quando inferunt, & opponunt, quod assensus fidei refunderetur in veritatem regulae logicae, atque ideo deberemus regulas syllogisticas logicas credere actu supernaturali firmissimos, & super omnia; quia cognitio de bonitate illationis pertinet ad logicam: neganda est sequela. Aliud enim est applicare regulas logicas vniuersales ad hanc illationem, & ex illis regulis, & praeceptis probare hanc esse bonam illationem: hoc pertinet ad logicam, non ad fidem: neque id necessarium est ad credendum mysterium reuelatum propter diuinam auctoritatem etiam per discursum formalem. Aliud verò est cognoscere in particulari, hanc esse bonam illationem absque alia applicatione regularum, & praeceptorum logicarum; & hoc facit fides, siue discursus formaliter, siue solum virtualiter. Nam rusticus, qui nihil de logicis praeceptis vnquam audiuit, optime tamen discit in pluribus materiis, & credit fide humana etiam per discursum formalem suis amicis: & scit euidenter, bene inferri, si emit rem quatuor aureis ad lucrandum, non posse se eam vendere tribus, quia id non esset lucrum, sed iactura; neque ad hoc credendum opus est, quod consulat regulas Logicorum, vel eorum praecepta applicet; Quia bonitas huius illationis in particulari ex se ipsa clarè patet, licet nesciat rationes reddere, & explicare, cur sit bona: quas rationes Logici iuxta sua praecepta reddit; sic etiam qui Architectus non est, nec vllas regulas illius artis didicit, visa tamen fabrica pulchra & proportionata, approbat illam, & fatetur esse bonam, licet non possit iuxta praecepta artis id probare. Qui coquus etiam non est, nec culinæ artem nouit, approbat cibum bene conditum, licet rationem iuxta regulas reddere nequeat. Sic etiam omnes, licet logici non sint, approbant illationem bonam in multis materiis, nihil prorsus dicentes de regulis Logicorum. Fides itaque nihil dicit de regulis vniuersalibus Logicorum sed iudicat bene inferri veritatem mysterij ex eo, quod Deus summè verax, illud reuelat: quam bonitatem particularem huius illationis manifestè cognoscimus in se ipsa, vel ex ipsis terminis; & assentimur firmissimè, & super omnia, quod sit conexio veritatis, & reuelationis Dei cū veritate mysterij quia ita necessè est firmissimè huic conexioni assentiri, vt sequatur assensus firmissimus rei reuelatae, nullo modo probantes hanc bonitatem illationis, seu hanc connexionem inter illa obiecta ex illa veritate praeceptorum, quae Logica tradit, quae plures fideles ignorant, & qui ea sciunt nullo modo ad ea attendunt in hoc iudicio.

Vnde nec fundatur à fidelibus hic assensus in principio illo communi, quae sunt eadem vni reuelatio, sunt eadem inter se; nec in principiis illis artis syllogisticae dici de omni, & dici de nullo; ad quae non attendunt; ideo non sequitur, quod fides in suo discursu debeat credere super omnia

Card. de Lugo de Virtute Fidei Diuina.

illa principia, quibus non vtitur, sed solum iudicat de hac connexionem, & illationem in particulari. Sicut, licet Deus reuelasset bonitatem huius illationis, non ideo reuelasset, nec nos deberemus firmissimè credere veras esse regulas illas Logicas, ex quibus posset probari bonitas huius illationis. Sic ergo & nos possumus illam iudicare & reificari, nihil dicendo de veritate illarum regularum. Quando autem requirimus cognitionem bonitatis illationis, non loquimur de illatione formali, qua vnus assensus inferitur ex aliis; hæc enim esset cognitio reflexa super ipsos actus intellectus, quæ non est necessaria ad discursum; sed loquimur semper de illatione obiectiua; hoc est, de connexionem necessaria, quæ est inter veritatem obiectiuam principiorum, & veritatem obiecti conclusionis, seu inter reuelationem Dei summè veracis, & veritatem obiecti reuelati; quæ conexio dicitur bonitas illationis obiectiua; quæ sola cognosci debet in discursu formali.

Obicit primò P. Coninch. *dicta disp. 9. dub. 7. num. 7.* quia ex nostra sententia sequeretur, multos rudes nō posse certum fidei assensum elicere; quia ipsi non vident bonitatem, aut certitudinem consequentiae, nec possunt vllō modo scire, qui syllogismi sint boni, qui non; sed ferè circa omnem consequentiam dubitant, an bona sit. Respondetur, si ita rudes sint, vt hanc illationem, seu connexionem non agnoscant, neque etiam sine discursu formali credere poterunt; ad omnem enim fidem, necesse est, quod credant rem reuelatam, quia Deus est verax, & hanc rem reuelat. Non possunt autem moueri ad credendam incarnationem ex tali motiuo, si non intelligant maiorem connexionem habere cum incarnatione reuelationem Dei veracis, quam somnum Turcae. Nemo itaque, qui rationis sit compos, & terminos intelligit, est adeo rudis, vt non videat connexionem inter principia illa, & illam conclusionem. Alioquin non solum credere, sed nec commercium cum hominibus habere, aut sibi in rebus suis consulere poterit. Ad hæc enim omnia necesse est discurre; nec homines quidquam agere possunt, nisi discurrant etiam ad minimas operationes, nec discurre possunt per se, nisi cognita bonitate illationis. Quare nec poterit triticum seminare, aut metere ad sibi, suæque familiaris providendum: quia semper dubitabit, an bene inferatur necessitas seminandi & merendi ex necessitate tritici ad comedendum panem, & sic in rebus aliis humanis.

Obicit secundò idem Auctor *num. 98. in fine* quia ille, qui in dicto syllogismo crederet certò vtramque præmissam, atque etiam consequens, seu mysterium reuelatum, negaret tamen consequentiam esse certam non esset hæreticus; ergo non pertinet ad fidem iudicium de bonitate illius consequentiae, vel illationis. Respondetur supponi falsum, si eo casu contendas, quod homo ille credat mysterium reuelatum fide certa: non potest enim credi fide certa, nisi credatur certò propter auctoritatem Dei, nec potest credi certò propter auctoritatem Dei, nisi credatur certò conexio auctoritatis diuinæ cum veritate mysterij: nam sicut non potest fide certa credi mysterium reuelatum, nisi credatur certò veracitas, & reuelatio Dei, quæ moueat ad credendum mysterium; ita non potest etiam mysterium credi certò, & firmissimè propter auctoritatem Dei, si non creditur certò, & firmissimè conexio aucto-

S 3

clorita

tertio, &c. nec in principis illis, dici de omni, & dici de aul-

39
Obiectio 1.

40
Obiectio 2.

Autoritatis diuinæ cum veritate mysterij reuelatij quia, vt vidimus, non possumus firmiter assentiri conclusioni, quam motiuo: cum ergo connectio auctoritatis diuinæ cum mysterio moueat etiam partialiter ad credendum mysterio, repugnat vacillare aliquem circa veritatem illius connexionis, & adhuc firmiter retinere veritatem mysterij propter connexionem cum auctoritate diuinā. An verò iudicandus esset hæreticus, qui negaret consequentiam illam, vel diceret illationem non esse certam; respondeo, per se loquendo nisi ignorantia excusetur, esse hæreticum: quia dicere illationem illam esse incertam, esset dicere quod possit sequi falsum ex illis principiis, scilicet ex Dei veritate infinita, & reuelatione actuali: quare impliciter diceret, non esse certum, quod licet Deus sit summè verax, & aliquid reuelet, adhuc res reuelata debeat esse vera, sed fortasse posse esse falsam. Hæc autem assertio explicita; contingere potest, quod res à Deo summè veraci reuelata sit falsa, vel certe de hoc dubitari potest: per se loquendo, hæretica est, vt constat ex disp. 4. sect. 2. vbi vidimus, de impotentia Dei ad mentendum, vel testificandum aliquid falsum.



DISPUTATIO VIII.

De vnitatem fidei, vbi de eius definitione.

- SECT. I. *Aliqua differentia inter actus fidei enumerantur.*
 II. *Quomodo differant Credere Deo, Credere Deum, & Credere in Deum, vbi etiam de fide miraculorum.*
 III. *Proponuntur & examinantur definitiones fidei.*

Complectemur hic aliquas faciliores questiones de actu fidei, quas tamen, quia communes ferè sunt ad eius habitum, non oportebit postea repetere, quando de habitu agendum erit. Dicemus in primis de vnitatem, quam fidei actus habent, & de diuersitate, quæ inter ipsos inueniri potest.

SECTIO I.

Aliqua differentie inter actus fidei enumerantur.

- I. **S**i setmo sit de fide in tota sua latitudine, sub ea comprehenduntur fides supernaturalis, & naturalis, hoc est, infusa, & acquisita, quæ duæ specie, & genere differunt, vt constat. Deinde loquendo de fide solum infusa, & supernaturali in sua etiam latitudine, comprehendit actus intellectuales, quibus assentimur, & actus etiam voluntatis, seu piæ affectionis, à quibus completur fides in ratione virtutis honestæ, & meritoria: comprehendit etiam habitum intellectualem, & habitum voluntatis, qui vterque habitus, & vterque actus constant vnam virtutem integram fidei

constantem ex constitutis partialibus specie diuersis.

Suppono etiam in intellectu præter habitum infusum dari etiam, & requiri species intellectuales ad eliciendos actus fidei: de quibus species est questio, an debeant esse etiam supernaturales, an verò sufficiant species naturales: de quo dicemus infra, quando agemus de supernaturalitate fidei, vbi etiam videbimus de apprehensionibus ipsius præcedentibus assensum, an sint naturales, vel supernaturales. Suppono denique, præter habitum, & species non requiri aliam qualitatem supernaturalem, quam aliqui appellant lumen, & dicunt esse aliquid superadditum, quos tacito nomine refert Coninch. disp. 6. dub. 1. n. 10. & impugnatur n. 14. quia, licet Deus dicatur creditibus infundere lumen 2. ad Cor. 4. Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illius in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ, & 1. Petri. 2. Qui vos vocauit de tenebris in admirabile lumen suum: id tamen non intelligitur de lumine euidentiæ, quo res ipsæ credendæ clarè cognoscantur, sed de claritate circa credibilitatem mysteriorum, & de apprehensionibus præcedentibus assensum fidei, & aptè proponentibus obiecta, licet non euidenter, & denique de habitu fidei, & aliis auxiliis præcedentibus, quæ omnia appellantur lumen quatenus faciunt, vt cognoscamus, quæ antea latebant.

His suppositis, dubitari potest in primis de actibus fidei intellectualibus, an omnes sint eiusdem speciei infusæ. Affirmant aliqui, quos sequitur Suarez disp. 6. sect. 3. num. 11. vbi concludit, omnes fidei assensus esse eiusdem speciei infusæ: quia omnium ratio formalis obiectiua est vna & eadem, quod etiam docet Coninch. disp. 16. n. 18. Contrarium tamen supponit, vt certum Hurtado disp. 56. sect. 1. §. 4. dicens, vix ab illo negari. Nos etiam supra disp. 1. sect. 11. diximus, posse differre specie physica pro varietate specifica reuelationum, quas credimus; in particulari ergo videndum est, ex quibus capitibus differre possint specie.

Et primò quæri potest, an actus fidei speculativi differant specie ab actibus practicis. Suppono enim, fidem vtriusque actus elicere: nam assensus circa Trinitatem est omnino speculatiuus cum nihil dicat de faciendū suo obiecto, & e contra actus, quo credimus actum ponitæ effectiendum ad obtinendam veniam peccati commissi, est practicus; vt probat Coninch. vbi sup. n. 17. qui addit vtrumque esse eiusdem speciei propter vnitatem motiui formalis: Et quidem ego facile concedam, ex eo præcisè capite non variari speciem illorum actuum: aliunde tamen vix contingit, quod ij actus non differant specie, propter variationem specificam motiui formalis partialis, vt statim dicam.

Secundò ergo considerari potest diuersitas specifica in actibus fidei ex parte motiui formalis: licet veracitas Dei sit semper eadem: reuelatio tamen Dei non videtur semper esse eadem etiam in specie, vt probauimus supra disp. 1. sect. 11. quam sententiam à me olim traditam amplexus est P. Hurtado vbi supra sect. 3. §. 29. & sequentibus, vbi latè probat, reuelationes ipsas Dei, quæ sunt etiam motiuum formale fidei partiale, differre specie, qui benè etiam impugnat responsiones, quæ afferri possent. Vnum ego addam, nimirum, quæ afferri possent. Vnum ego addam, nimirum, quæ afferri possent. Vnum ego addam, nimirum, quæ afferri possent. Vnum ego addam, nimirum, quæ afferri possent.